

1538
Jacobi Canalis litera.

ad Senatum cum literis Byzantio miserat . Is Neocastrum a duobus Bassæ hominibus deductus , ab Sangiaco , qui Neocastro præerat , Ascrivium a suis familiaribus perducere iussus est . Literarum hæc erant capita . Libertate impetrata , secum carcerem , atque ærumnas , quas perpeßus esset , Ajacem indoluisset : Scardonæ eventus eas sibi calamitates ob iratum Regis animum peperisset : quod , vetustis pacis conditionibus abscissis , ad bellum ventum esset , magna molestia se affici : ceterum mirari de propositis a se concordie rationibus ne responsum quidem ullum tulisse : jam tertio Venetias nuntium mittere : adhuc tempus esse , quo res opportune componerentur : si Senatus velit , Regis iras molliturum , atque ejusmodi conditionibus pacem sanciri posse sibi suaderi , ut arctior Venetis cum Suleimano amicitia intercederet : sin vero oblatam concordiam respueret , triplo auctis viribus cum terrestribus , tum maritimis , acerrimo bello impetum in Venetos facturum ; Græciæ , atque Asiæ robore coacto , veris initio in expeditionem iturum . His multa Canalis de bellicis Turcarum apparatibus adjecit , equorum , & camelorum ingentem numerum , milites undique colligi , trecenta navigia cunctis rebus instructa in promptu esse . Quæ legatus per literas Senatui significavit , eadem Janesinus de Ajacis mente retulit , cujus jussu cum Chariadeno colloquutum , qui uti amicus Rempublicam ad pacem fuerat cohortatus ; quam si aspernaretur , se cum classe in sinus Adriatici penetralibus propediem futurum , dum Suleimanus cum ingentibus copiis Forijulii provinciam aggrederetur . Literis in Senatu perlectis , atque iis , quæ Janesinus retulerat , renunciatis , mox legatis , ut antea factum fuerat , patefacta fuere : Pontificis , ac Cæsaris oratoribus illud additum : in Senatu eandem mentem esse , ut neque allatis Byzantio rumoribus , neque ad pacem ineundam incitamentis permotus a foedere conficiendo deterreretur ; immo cunctos nervos in ea omnia , quæ ad tantum bellum suscipiendum necessaria essent , intenderet ; ut illorum Principes ad paria facienda , acrioribus stimulis adjectis , inflammarent , atque impellerent , rogare .

Canalis litera & Janesini officia fœderatorum legatis patefacta .

Literas Canalis legati , ac Janesini sermones magna animorum commotio , atque hæsitatio consequuta est ; cum in plerisque ,
qui